

EIUSDEM GERMANIA GENERALIS

AD MAXMILI. REGEM PRAEFATIO.

M1_1 v.1 Rex cui scepra dedit latialia conditor orbis
 2 Imperiumque tuo subdidit arbitrio
 3 accipe germanam pingentia carmina terram
 4 in genere : et totam cerne superficiem
 5 aequora cum silvis. Populos. Montes. Juga gentes
 6 et quantum silva extenditur hercynia
 7 haec rogo pauca legas donec germania tota
 8 illustrata tibi Maxmiliane detur.

ORIGO MUNDI EX VENTRE DEMO.

M1_2 v.1 Per Demogorgoneum memorantur cuncta tumultum
 2 ex veteri prodisse chaos dum ventre tumeret
 3 forte senex totueque ferens in corpore mundum
 4 distendit gravidam maturi ponderis alvum
 5 quod fuit aeterni conceptum ab origine mundi
 6 impatiensque oneris cupidusque reponere tandem
 7 pondus iners molemque rudem se ventre prementem
 8 indignatus ait : vacuas te profer in auras
 9 o mundi deforme chaos superisque pudendum
 10 et vos cunctarum discordia semina rerum
 11 ignava in nostris quae tanto tempore membris
 12 delituistis : acres facientia saepe dolores
 13 visceribus tumulata meis dum bella movetis
 14 ite ite actutum jubeo : pulchroque decore
 15 condite luciflui rutilantia sidera caeli
 16 et me jam vestro vacuum praestate tumultu
 17 dum mundi fabricetis opus : quod pace perenni
 18 alliget aeternus concordi foedere mundus
 19 dixit : et excutiens veterum : mox terra polusque
 20 et mare fluctivomum liquidusque et turbidus aer
 21 quique subest gelidae lunae nunc proximus ignis
 22 exierant : propriis spatio et disjuncta figuris
 23 atque lacunosas ventris liquere cavernas
 24 moxque per octavam simulacra micantia spheram
 25 ignifluis radiata comis per quinque patentes
 26 zonas se totum subito explicuere per orbem
 27 hinc Vervex : et Libra pares facientia noctes
 28 et Caper : et Cancer : quae maxima tempora luci
 29 et tenebris referunt : et quae prolata sub axes
 30 signa micant cursum peragunt mox fixa diurnum
 31 bisque duodenas redeunt revoluta per horas

32 donaque per teneras coeperunt fundere terras
 33 et variis radiis lucere per aera. Deorsum
 34 infusa virtute nova quae semina rerum
 35 in terrae tumulata sinu caecoque in acervo
 36 digessit : jussitque suis distare figuris
 37 hinc tellus variis florum redimita coronis
 38 Arboribusque suis fructus frugesque creavit
 39 atque homines pecudesque simul produxit in arvis
 40 hinc volucres aer : piscesque receperat aequor
 41 per mare squamigeris ducentes corpora pinnis
 42 hinc etiam octavo quae sunt contraria mundo
 43 Astra suis variis coeperunt currere cyclis
 44 Saturnus totumque regens qui Juppiter orbem
 45 et Mars qui miseris inmittit sidere clades
 46 et Phoebus Veneri socius : citharaeque repetor
 47 Mercurius : gelidae Lunaeque novissimus orbis
 48 quae nunc retrogrado properantia tempora motu
 49 impediunt : tardantque vages procedere causas
 50 et rursus statione sua fluitura morantur
 51 ut stabili fixoque meent sua fata tenore
 52 dum miscent refluo volitantia semina motu
 53 per varias reditura vices et longa per aevum
 54 compleat aeterno mundus sua saecula cursu
 55 illa jubente deo rapidis qui praesidet astris

DE SITU GERMANIAE ET MORIBUS IN GENERALI

M1_3 v.1 Gens invicta manet toto notissima mundo
 2 Terra ubi se devexa globo demittit in Arcton
 3 solis et algoris patiens durique laboris
 4 ingrata ignavam vitae tolerare quietem
 5 indigena. Haud alia ducens primordia gente
 6 sed caelo producta suo Demogorgonis alvus
 7 protulerat : patulas ubi cuncta creata sub auras
 8 Germanos vocitant Latii. Graii sed adelphos
 9 quod fratrum soleant inter se vivere more
 10 nomen nobilibus quod adhuc venerabile nostris
 11 pectoribus similes ingentes corporis artus
 12 prodiga cui natura dedit per lactea colla
 13 candida proceris tollentes corpora membris
 14 flava coma est : flavent oculi : flavoque colore
 15 temperie justam retinent sua membra staturam
 16 voxque habitum mentis cum gestu et pectora prodit
 17 vox quae nil muliebri sonat sed tota virilis
 18 Martia crassiloquo testatur corda palato
 19 commune his studium venari : equitare : vagari
 20 atque suum varias victum quaesisse per artes
 21 vel Bacchum viduis crescentem jungere palis
 22 arvaque quadrijugo proscindere pingua aratro
 23 nec patrio tepuisse solo juvenilibus annis
 24 sed mox doctiloquae praecepta adisse Minervae
 25 vel vaga veliferas duxisse per aequora naves
 26 atque suis terris varias adducere merces
 27 nec censere nefas animum intendisse rapinis
 28 dum fera belligeri meditantur proelia Martis
 29 atque illum regum celsas quaesisse per aulas
 30 quatuor ad fines quas Teutonis ora coercet

31 sive per Hercyniae nemorosa cacumina silvae
 32 dentatos prosternere apros : silvisque vagantes
 33 aeripedes cervos : ursosque agitare feroces
 34 unguibus accipitres trucibusque jubere rapinas
 35 tollere et evulsas dispergere in aethera plumas
 36 hinc animus dubiis audens se credere rebus
 37 nec segnis : timidusque mori : roseumque cruorem
 38 pro patria et charis certans effundere amicis
 39 atque avidus caedis : siqua ulla injuria laesit
 40 quique fidem sancto et constanti pectore servat
 41 relligionis amans : superumque : et cultor honesti
 42 et veri : justique tenax : mens consona labris
 43 ficta coloratae fugiens mendacia linguae.

DE SIDERIBUS VERTICALI. GERMA.

M1_4 v.1 Qualia ab Herculeis memorantur pectora stellis
 2 Perseo Andromedaeque vago descendere Olympo
 3 fortia robustis animare et corpora nervis
 4 quique sub extremo monstratur cardine Cepheus
 5 ultimus argenti quem torquet circulus orbe
 6 Nocte carens calidi dum sol stat sidere Cancri
 7 et Bacchi Phoebique decus rigidusque Bootes
 8 Heniochusque suo volitans per sidera curru
 9 Ursa minor : majorque : trucem complexa draconem
 10 nunquam caeruleas subeunt quae Tethyos undas
 11 sidera : Germanas radios jaculantur in oras

DE QUATTUOR LATERIBUS GERMA. FLUMINIBUS MARIBUS ET INSULIS

M1_5 v.1 Pulcher ab occiduo quas claudit limite Rhenus
 2 alveus et rapidus pulchras adlabitur urbes
 3 et tandem externum triplici cadit ore sub aequor
 4 nosque a Sequanicis disjungit flumine Gallis
 5 Vistula purpureo sed terminus exstat ab ortu
 6 Vistula Sarmaticis qui famosissimus oris
 7 in Codanum trifidis effundens faucibus ora
 8 Hic ubi Bruteno clara est Germania portu
 9 et capit innumeras Codonea per aequora naves
 10 quae glaesum eiciunt : quod succinus ore Latino
 11 dicitur et nostris tantum reperitur in oris
 12 Danubiusque rapax : et amictae nubibus Alpes
 13 Austrinos faciunt fines metamque resignant
 14 Italicae : Illyricae : Scythicae et contermina genti
 15 solus Germanas Hister sed deserit oras
 16 lata peregrinis inducens flumina terris
 17 Germano concepta solo quaeque Ungarus acri
 18 barbarus ore bibit : Metanastaque Teutonius haurit
 19 hic ubi nunc pulchro : claret Moldavia tractu
 20 septenis tandem qua faucibus exit in aequor
 21 non Nilo nec Gange minor qui maxima toto
 22 orbibus ex aliis memorantur flumina mundo
 23 sed mare Codoneum (Germano et nomine dictus
 24 Oceanus) fines posuit natura sub Arcton
 25 quos ultra tria regna manent : gelidusque Britannus
 26 Orcadibus qua cincta suis Tyle : et glacialis

27 nuper hyperboreo quae inventa est insula regi
 28 Norvegos Dacosque regens Suedosque bibaces
 29 ultima concreti qui cernunt sidera caeli
 30 aestatis verisque inopes : hiememque perennem
 31 perpetuasque nives caelo patiuntur inertii
 32 inter quos memorant Lappones nomine dictos
 33 qui vitam specubus ducunt silvisque nivosis
 34 venantes madros : et molles pelle sabellos
 35 et nostri fugiunt rigidi commercia mundi
 36 congressusque hominum nec habentes ore loquelas
 37 horrida barbaries rigido damnata sub axe
 38 atque feris similes : quorum cognoscere mores
 39 et ritus quis forte velit petat ille libellos
 40 quos de Germanis nuper conscripsimus oris
 41 talis ad Arctoum nostra est Germania tractum
 42 Sauromatis vicina feris : Asiaeque potenti
 43 hic ubi se Tanais : sinuoso litore volvit
 44 impetuosus aquis rigidis vastamque paludem
 45 et matrem marium ditat glacialibus undis
 46 interiora rigat terrae sed maximus Albis
 47 qui rapidus mediam fluuius perlabitur oram
 48 et quantum Rhenus sic Vistula distat ad ortus
 49 tandem et Cimbriacum vagus exoneratur in aequor
 50 a Cimbris quod nomen habet : quos proxima Dacis
 51 Chersonensus habet rigidum porrecta sub axem
 52 isthmus ubi geminum sua littora pandit in aequor
 53 Oceanum Codanumque videns ubi Scandia dives
 54 alleces totum mittit piscosa per orbem
 55 et strumulos sicco quos mittit corpore Suedus
 56 a struma qui nomen habent : gluviaque patente

DE TRIBUS IUGIS ET MONTIBUS GERMANIAE

M1_6 v.1 Sed nemus Hercynium montes et ab Alpibus orti
 2 cum ramis totam se diffudere per oram
 3 jamque sub occiduum tendentes brachia solem
 4 hinc austrum Boreamque petunt eorumque sonorum
 5 donec in Euxinum procumbant vertice pontum
 6 quaque Byzantinas angustat bosphorus undas
 7 sed tria Germanae tollunt juga maxima terrae
 8 verticibusque suis feriunt vaga sidera caeli
 9 impositasque ferunt nebulosis montibus arces
 10 et scabris latebris spumantia flumina fundunt
 11 primum est immani dorso quod spectat in Arcton
 12 Germanos : Gallosque videns : Italosque potentes
 13 quod Rheni : Rhodanique parens Oenique sonantis
 14 quod veteres prisco dixerunt nomine Adulam
 15 atque suis longis ramis nunc procreat Alpes
 16 hic ubi cum rapidis Athesis se concitat undis
 17 Adriaco miscere salo : Venetisque superbis
 18 dicere Germano quia dedant colla tyranno
 19 ast aliud Carpathus habet qui spectat in Eorum
 20 auspiciam nostris niveo dans vertice terris
 21 quem Suevum in priscis meminisse dictum esse libellis
 22 qui cuproque auroque scatens variisque metallis
 23 Pannoniam largo locupletat munere gentem
 24 Hercyniumque jugum medio Germania tractu

25 erigit : et multis dispargit cornua terris
 26 ex quibus ingenti dorso stans pinifer atrum
 27 tollit in astra caput liquidoque a vertice quatuor
 28 quatuor ad mundi fundit vaga flumina partes
 29 Moenus in occiduum festinat currere Rhenum
 30 Esala qui Drusi gestat praeclara tropaea
 31 argentes petit Albis aquas. Nabus exit in austrum
 32 aegra sed Eoos flectit sua cornua in ortus
 33 et secum Hercyniam trahit alto vertice silvam.

DE TRACTU HERCYNIAE SILVAE PER GERMANIAM

M1_7 v.1 Quae variis porrecta plagis nunc. Vasta sub Arctom
 2 inque Eurum Zephyrumque suis cum saltibus errans
 3 explicat immensos annoso robore lucos
 4 relligione sacros veteri quoque amore verendos
 5 qui druidum densae per opaca silentia silvae
 6 plurima magnificis servant coenobia tectis
 7 quae diti nigris operantur sacra cucullis
 8 vallibus irriguis constructa ubi murmura blando
 9 unda sonans placidos inducit corpore somnos
 10 sed transrhenanas ubi silva reliquerit oras
 11 tendit ad innumeras Germano sanguine gentes
 12 per Suevos Caucosque feros madidosque Sicambros
 13 Algionesque truces Rhenique ad fluminis ortum
 14 perque lacus geminos candentes praeterit Alpes
 15 Helvetiis porrecta jugis : durisque Cheruscis
 16 Vindelicos Rhetosque petens : et Norica rura
 17 perque lacus plures capientium ab Alpibus undas
 18 Boiorum deserta petit rursusque sub Arcton
 19 brachia longa jacit Suevos Francosque Turogos
 20 circuit. Obnobios montes : qui particula Alpum et
 21 Saxoniceque reducta plagis Frisiisque bubulcis
 22 Visigothis Ostroque Gothis Cimbrisque vetustis
 23 donec Germanum prope tangat saltibus aequor
 24 ast ubi spumiferi fontes contexerit Istri
 25 Austriacas aditura plagas : Ceciumque comantem
 26 qui dum nubigeras radicem accepit ad Alpes
 27 quas Carnus Styriusque tenet Slavusque bilinguis
 28 hic ubi Danubius positurus nomina ponto
 29 proxima Dalmaticae radit confinia terrae
 30 qua Dravus Savusque vagum exonerantur in Istrum
 31 sed longum Austriacas dorsum protendit in oras
 32 quod tandem rapido calva fronte imminet Istro
 33 unde sibi totum sunt nomina nota per orbem
 34 hunc silva obliquis ramis et collibus atris
 35 integit atque feris foliosa cubilia sternit
 36 silviferumque caput nemoroso vertice vestit
 37 silva prius late Bavaras sed sparsa per oras
 38 ante sub Austriacas quam tendat brachia terras
 39 obliqua ad Vilsis protendens cornua ripas
 40 Vilsus in Istrinis qui tandem perditur undis
 41 ast ubi per Bavaros ingentia cornua flexit
 42 mox Francos Turogosque petit Boemosque feroces
 43 tanquam nativo claudit quos undique muro
 44 quos medio nutrit bellax Germania tractu
 45 pingue solum : frugumque ferax : silvaeque perennis

46 plurima Germanis quae emittit flumina terris
 47 Albim Oderam qui nigra fuit memorata vetustis
 48 quos ubi deseruit Carpathi culmina spectans
 49 Marcomanes Gepidasque petit Jazigesque potentes
 50 Hic ubi nunc cultis est Transsilvania terris
 51 moribus Almanis gentem linguaque creavit
 52 inde iterum vasto diffundit cornua flexu
 53 Visburgos Sabocosque petens durosque Gelonos
 54 quaque manet pulchro dives jam Prussia portu
 55 Sarmaticis obducta plagis quosque ultimus orbis
 56 angulus abscondit Agathyrsos limite claudit
 57 ad Tanais fontes Ripheoque in vertice late
 58 diffusa : et fines Europae vasta pererrans
 59 diversasque feras volucresque in saltibus abdens
 60 per Masovina truces abscondens rura Visontes
 61 proinde metalliferos extollens undique montes
 62 argentique aurique ferax variisque metallis
 63 plurima perpetuis effundens munera venis
 64 fornacesque cavas rapidus quibus aestuat ignis
 65 quem fovet excussis ventosis follibus aura
 66 quas circum valido se tollit malleus ictu
 67 quem rapidis levat unda rotis et machina molis
 68 ingenti sonitu ferit astra volantia caeli
 69 Brontis opus Steropisque gerens liquefacta metalla
 70 extendit varias ubi ferri lamina formas.

DE QUALITATE TELLURIS PER GER.

M1_8 v.1 Terra hominum pecudumque ferax quaeque ubere gleba
 2 spiciferam cererem multo cum fenore reddit
 3 pascua florigeris extendens pingua pratis
 4 ingentesque lacus varias vastasque paludes
 5 et fluvios varios sapido qui pisce redundant
 6 collibus apricis agrisque et montibus altis
 7 plurima vitiferi qui fundunt munera Bacchi
 8 vicino jam sole novo qui sidere laeto
 9 proximior nostris infundit lumina terris
 10 hinc varii cultus et cultis moenibus urbes
 11 mitior et populus Germano nascitur orbe
 12 explosa ruditate fera quam barbarus olim
 13 silvicola in riguis servabat saltibus ortus
 14 illa superficies Germanis traditur oris
 15 quae mihi bis quinos fuerat lustrata per annos
 16 quam silvis fluviisque suis et montibus altis
 17 et variis populis vario et discrimine linguae
 18 sideribusque suis deus et natura creavit.



CONRADI CELTIS HYMNUS SAPPHICUS IN VITAM SANCTI SEBALDI

M2_1 v.1 Regiae stirpis soboles Sebalde
2 Norica multum veneratus urbe
3 da tuam nobis memorare sanctam
4 carmine vitam.
5 Te sacris votis generant parentes
6 cum diu lecto sterili vacassent
7 teque suscepto statuere castam
8 ducere vitam.
9 Natus his sanctis puer ergo votis
10 Galliae claram properas in urbem
11 artibus sacris animumque cultis
12 moribus ornans,
13 hauseras sanctas ubi mente leges
14 patriam doctor rediens in aulam
15 regiam quaerunt tibi mox venustam
16 jungere sponsam.
17 Ut dies laetis fuerat peracta
18 nuptiis virgo pudibunda vultu
19 ducitur celso tibi copulanda
20 candida lecto,
21 cumque jam clausum fuerat cubile
22 et quies cunctis foret alta rebus
23 tu tuae sponsae loqueris pudicae
24 talia verba :
25 "Nata de magno mea sponsa rege
26 non tuum castum violabo corpus
27 si placet mecum pia vota castae
28 jungere vitae."
29 Adnuit virgo tenero pudore
30 et deo magnas dedit ore grates
31 integram servans generosa casto
32 corpore vitam.
33 Ipse mox celsam genitoris aulam
34 Spiritus sancti monitu relinquens
35 horridas silvas eremumque vastis
36 saltibus intras
37 et per exesae cava saxa rupis
38 stratus orabas manibus supinis
39 fervidum solem, boream, nivesque
40 passus et imbres.
41 Et feras inter medius quiescens
42 saepe montanis satiatus herbis
43 hauseras puram liquidis fluentem
44 fontibus undam.
45 His ubi corpus dapibus foveres
46 mentis in puram tenuatus auram
47 saepe divinos nitido videbas
48 pectore vultus.
49 Sic tribus lustris tacito peractis
50 inde Romanam properas ad urbem
51 qua dei verbum monuit per orbem
52 spargere pastor.
53 Ipse mandatum recipis paternum
54 et vagus terras varias pererras

55 donec immensum peregre venires
 56 laetus ad Istrum.
 57 Hic ubi cymbis tumidus careret
 58 praebuit tutam pater alme navem
 59 pallium : quo tunc fueras pudico
 60 corpore tectus.
 61 Moxque per vastas nemoris latebras
 62 Noricam laetus veniens in urbem
 63 hanc docens sacro monitu profanos
 64 linquere cultus.
 65 Et deum celso residere caelo
 66 praedicas : poenas vitiis daturum
 67 quique virtuti tribuat bacatae
 68 praemia vitae ;
 69 ille de casta genitrice natus
 70 corporis mortem tulerat cruentam
 71 tertio Phoebo rediens sepultis
 72 victor ab oris.
 73 Approbas multis tua verba signis
 74 scripta quae libro reperi fideli
 75 nec minus claris hodie coruscas
 76 inclute signis.
 77 Cumque jam longo fueras labore
 78 fessus : et sedes meritis beatas
 79 te senem nostras deus imperabat
 80 linquere terras.
 81 Spiritus sanctos ubi liquit artus
 82 mox boves corpus tulerant agrestes
 83 qua tuas sanctas modo personamus
 84 carmine laudes.
 85 Ergo jam caelo merito locatus
 86 hanc velis urbem mediis arenis
 87 conditam : sanctis precibus juvare
 88 sedulus orans
 89 terra fecundo madeat liquore
 90 et salutare habeat calores
 91 spiceam gestans cereris coronam
 92 fenore multo ;
 93 spumet et plenis rubicundus uvis
 94 Bacchus et frontes tetricas relaxet
 95 et pecus laetis nemorosa carpat
 96 pascua pratis ;
 97 prosperos servent radiosa cursus
 98 Astra : nec morbos subitos minentur
 99 paxque per nostras maneat perenni
 100 tempore terras.
 101 Fata Germanis faveant triumphis
 102 dum petet Turcos gladiis cruentis
 103 Principis nostri juvenile robur
 104 Maxmiliani.
 105 Hinc ubi nostras animas solutis
 106 corporum vinclis deus evocabit
 107 confer : ut tecum capiamus alti
 108 gaudia caeli.
 109 Haec ubi nobis pater impetrabis
 110 ante supremi faciem tonantis,
 111 hic tuas semper cumulemus aras
 112 ture benigno.



INCIPIT LUDUS DIANAЕ CORAM MAXIMILIANO REGE PER SODALITATEM
LITTERARIAM DANUBIANAM IN LINZIO

MERCURIUS PRAELUDIO MISSUS A DIANA AD SPECTATORES LOQUITUR.

M3_1A v.1 Pennata gesto calcibus vestigia
2 Tectus galero et hac in aula prodeo
3 Atlantide olim quem creatum praedicant
4 fidus deorum et qui dearum nuntius
5 hominum sagax et foederum caducifer
6 mandata vobis jam fero triviae deae
7 nemorum latebris et feris quae praesidet
8 venationis et magistra regia
9 Faunis Satyris Nymphis comitata agrestibus
10 Silvano Iaccho et putido Sileno
11 haec maximo regi est datura Aemilio
12 arcum, pharetram, cuspidas, rete et canes
13 sibi offerens venationum insignia
14 victamque se dicet per egregium virum
15 venationis omnis expertissimum
16 vos auribus sed cuncta nunc prendite
17 alis levatus ipse ad astra hinc evolo

ACTUS PRIMUS.

DIANA NYMPHIS SATYRIS ET FAUNIS RELIQUAQUE SUA FAMILIA SINGULI SUIS INSIGNIBUS ORNATI
ET INDUTI REGEM ALLOQUITUR.

M3_1B v.1 Caesar ave auspicio superum qui dirigis orbem
2 quem decorat Romanus honos cui vivida virtus
3 per varios casus per mille pericula rerum
4 hoc peperit regnum : gestis qui cedere nescis
5 Caesaribus priscis : et adhuc meliora supersunt
6 advenio supplex genibus prostrata sacratis
7 quam coluit crebris aris veneranda vetustas
8 atque Ephesus memori tot jam per saecula templo
9 donavit : triviam vates dixere priores
10 mansit honos nomenque meum : mihi numina ruris
11 Silvanus Satyrique leves Faunisque salaces
12 et Bacchus socio Sileno in caespite sacrum
13 struxerunt : me magna cohors comitata sororum
14 Oreadum Dryadumque simul : solemque nivesque
15 pertuleram : inque humeris tot retia ferre sub aestu
16 non piguit : costisque cutem deducere cervis
17 nec minus et nostros ornarunt undique postes
18 arcibus et jaculis captivarumque ferarum
19 pellibus et votis mortales mille vocarunt
20 donec in Austriaca quidam felicior aula
21 ducit Aventina veteres qui ex arce parentes
22 progenitus : superans atavos virtute priores
23 venatu oppressit silvas cautesque petivit
24 ignotas antehac homini : non ulla ferarum

25 non volucrum secura colit montisve cacumen
 26 sive profunda lacus penetrat. Montesque lacusque
 27 et manibus pedibusque ferox : certaue sagitta
 28 sive capit prendens lato venabula ferro
 29 seu jaculum torquet : rideris prisca vetustas
 30 Herculea decorata manu : Calydonius heros
 31 jam nihil est : quin ipsa virum venerata priorem
 32 ipsa Diana colo : Fauni Satyrique sequuntur
 33 Silvanusque rudis Nymphae et generosus Iacchus
 34 auritoque sedens madidus Silenus asello
 35 hunc dominum : nostrisque choris non amplius haerent :
 36 et si me vultus non decipit : ille videris
 37 ille es caesar : ades venator maximus ille
 38 quem capreae cervique timent. Ursique suesque
 39 et lupus et nuper tibi missi aquilone visontes
 40 quem fugiunt : qui saepe ferus nemus omne fatigas
 41 cedo libens : arcumque meum pharetramque nitentem
 42 et jaculum capias Caesar spoliisque Dianae
 43 laetior exsultes et quae tibi munera Mavors
 44 jam pridem largitus erat crudelis in hostes
 45 exerce his nostris : placidus lenisque fruaris

POST HUIUS CARMINIS RECITATIONEM DIANA CHORO NYMPHARUM STIPATA...

M3_1C v.1 Maxmilianeas Nymphae nunc dicite laudes
 2 et resonet nostro Blanca Maria choro
 3 ducite jocundas Fauni Satyrique choreas
 4 indulget festis regia tota jocis
 5 dedicat hanc Genio Caesar cum conjugue noctem
 6 o nox perpetuo carmine digna coli.

ACTUS SECUNDUS

SILVANUS COMITATUS BACCHO FAUNIS ET SATYRIS REGEM ALLOQUITUR.

M3_2A v.1 Rex cui Maximium praestant pia sidera nome**N**
 2 verus ab aethereo missus mortalibus orb**E**
 3 cultor Olympiaci justique aequique tonanti**S**
 4 juris amator oves Christi tua sceptra gubernent**T**
 5 mens vigil ut caelo populus turbatus apert**O**
 6 vivida ad aeterni tandem pius ora trahatu**R**
 7 serva commissum tibi ne lupo intret ovile**E**
 8 justitiam superos obeuntem hoc orbe relicto**O**
 9 nobis qui Austriaco fruimur pastore remitta**S**
 10 victa diu Ausoniae lugubri moenia vult**U**
 11 impia luxerunt et adhuc Insubrica ploran**T**
 12 culmina cristati vanissima proelia Gall**I**
 13 tolles laude atavos si tu venerabile nume**N**
 14 occurras Turcorum annis inimicaque castra**A**
 15 telis Christicolum superes martemque tyrannu**M**
 16 urbis abegisti dum tristia bella tumult**U**
 17 tunde male infidi venientia perfida Turc**I**
 18 agmina et immanis nunc disice daemonis illu**D**

19 Maumet robustum pectus qui bella furor**E**
 20 suscitatur insano Germana in corpora et arm**A**
 21 urbanos Christi cultus perdentia gesti**T**
 22 bellator Stygio qui fretus robore gese**F**
 23 perdere nos regesque pios mandare gehenna**E**
 24 ritus heu miseros hominum quos si ante tribuna**L**
 25 in nigra perpetui mittendos Tartara fat**I**
 26 nos timor admoneat numquid mortalibus ista**C**
 27 constrictos videas animos in crimina ferr**I**
 28 intendens licet usque malum draco membra resolu**T**
 29 perfidus exhaurit matris qui viscera nostra**E**
 30 enses effodiens sic undique bella parentu**R**
 31 vexati te jam cessent dominante pericla**A**
 32 imperii invictum tolletur ad aethera nome**N**
 33 turgentes Venetos igitur tuque omine lume**N**
 34 attere felici Gallorum : ac pectore tot**O**
 35 motus Helveticae compesce et turbida plebi**S**.

PRAECEDENS CARMEN SEX VERSUS IN CAPITE ET UNUM IN LITTERIS FINALIBUS CONTINET.

M3_2B v.1 Non auro redimita comas mea carmina sunt
 2 nec sunt a tanto Principe digna legi
 3 arte tamen contexta diu qua nulla fuere
 4 forsitan in nostris condita temporibus
 5 litterae in extremo carmen tibi fine reponunt
 6 et sex principio carmina lector habes

POST HUIUS CARMINIS RECITATIONEM PER SILVANUM CHORUS BACCHI ET COMITUM SUORUM
 AD FISTULAM ET CITHARAM SALTABANT HAEC CARMINA QUATTUOR VOCIBUS
 SALTANDO MODULANTES.

M3_2C v.1 Silvanus Satyri Fauni Silenus Iacchus
 2 lascivis pedibus chorea nostra strepet
 3 Maximus Aemilius conjunx et Blanca maria
 4 cantentur nostris hic et ubique choris
 5 vivite felices ambo dum vita superstes
 6 et locet aethereo vos deus inde polo.

ACTUS TERTIUS

BACCHUS THYRSIGER COMITATUS SILENO ET BACCHIDIBUS REGEM ALLOQUITUR.

M3_3A v.1 Ex qui stemmata Aventina geris sacra
 2 salve : Romulidum gloria Caesarum
 3 Osiris capias et Dionysii
 4 quondam magnificis gesta laboribus
 5 Bacchus nunc vocitor laetitiae dator
 6 impellens animos scribere carmina
 7 cantantes satyros jam tua saecula
 8 Silanos faciles capripedes deos
 9 Silenum madido somniferum mero
 10 mecum temporibus perpetuis fero
 11 cingentes capitis tempora frondeis
 12 sertis : sunt quibus et pinea pocula
 13 hi sunt qui manibus Thyrsigeris petunt

14 mecum colliculos celsaque montium
 15 laeta vitiferum fronte cacumina
 16 sic veni calida laetus ab India
 17 et Nisam peragrans Niliacam et plagam
 18 Grais et Latiis montibus inserens
 19 radices : tenui sub scrobe vitium
 20 dignum perpetuis munus honoribus
 21 hinc montes adii laetior arduos
 22 gentis belligerae monticolas videns
 23 Germanos : docui : et pampineum nemus
 24 per colles teneris ducere surculis
 25 sic Rhenana mihi culta fuit plaga
 26 et montosa scabris rura sub Alpibus
 27 nostris muneribus vitea reddidi
 28 Moenum cum Necaro cum Cocero et vago
 29 Albin cumque Odera et Bacchifero Sala
 30 Rhaeti Vindelici Carnioli Styri
 31 et longa virides valle Carinthii
 32 hinc et Austriaci qua Cecius ferax
 33 vinosum tumido Danubio caput
 34 infert vinifluis comminus uvulis
 35 me vineta locis editioribus
 36 consecrasse sacris carminibus canunt
 37 me sic clara Vienna Austriaci soli
 38 a vino nitidum nomen habens bono
 39 cantat Bacchidicis jam "Triaterikois"
 40 ad quae conveniunt milia plurima
 41 Faunorum Dryadum et Silvicolum deum
 42 in primis referunt qui meritas pio
 43 laudes Maxmiliano imperii duci
 44 urbem tam celebrem qui sinit orgiis
 45 et natale solum muneribus meis
 46 impleri et fieri bacchica gaudia.

POST RECITATIONEM ILLIUS CARMINIS: CONTICUERE OMNES INTENTIQUE ORA TENEBANT
 ET MOX RECITATOR CHORIAMBII HUIUS AD PEDES REGIS PROVOLUTUS
 LAUREAM HIS CARMINIBUS A REGE PETIIT.

M3_3B v.1 Siqua mihi est virtus doctrinaque maxime caesar
 2 imponas capiti laurea sarta meo
 3 per Superos ego juro tibi et per scepra Tonantis
 4 cantabo laudes hic et ubique tuas

POETA IGITUR CAEREMONIIS SOLITIS PER MANUS REGIAS CREATUR:
 TOTUS CHORUS GRATIARUM ACTIONES REGI CANTAVIT
 TRIBUS VOCIBUS.

M3_3C v.1 Regis aeternas resonemus omnes
 2 incliti laudes : nitidae coronae
 3 serta qui docto dederat poetae
 4 Silesitano.
 5 Tuque susceptum videas honorem
 6 ut sacris dignum facias Camenis
 7 neve te torpor furor aut libido et
 8 questus obumbret.
 9 Liber in vastis memorare silvis

10 ut canas laudes probitate partas
 11 asper et contra viciis faventes
 12 cornua tollas.
 13 Sic tibi totum celebris per orbem
 14 fama nascetur rapidum per Histrum
 15 Vistulam et duras Codani per undas
 16 et vada Rheni

ACTUS QUARTUS

SILENUS ASELLO INSIDENS ET CANTARUM ANSA ATTRITA

M3_4 v.1 Clarus Aventino quondam qui sanguine cretus
 2 jam faveas nostris Maxmiliane jocis
 3 Silenus sedeo pando temulentus asello
 4 et negat officium pesque manusque suum
 5 est animal toto quo nullum pigrius orbe
 6 vivit. Quod tergo corpora nostra gerit
 7 pendula demissis cui torpent auribus ora
 8 et lento graditur bestia pigra pede
 9 aera rugitu : clamoso et commovet ore
 10 Cerberus obscuris ut solet ater aquis
 11 officiumque suum duro nisi verbere discit
 12 dum crebro baculo terga relisa sonant
 13 illis nunc faveas rex Maxmiliane rogamus
 14 atque hos Caesareis rex bone pasce cibis.

ACTUS QUINTUS ET ULTIMUS.

PERSONAE LUDI OMNES IN UNUM CHORUM CONGREGATAE GRATIARUM ACTIONES AGUNT...

M3_5A v.1 Vivite felices ambo Caesarque torique
 2 consors : nestoreos fata dedere dies
 3 Caesar ad occasum felix sis solis ab ortu et
 4 viribus invictis regna solumque tene
 5 multiplicem variet sobolem tibi Blanca Maria
 6 et ducibus terras impleat Austriacas
 7 tardior extremae cum venerit hora senectae
 8 collocet omnipotens laetus utrumque polo
 9 Maxmiliane vale : valeas jam Blanca Maria
 10 jam repeto silvas casta Diana meas.

POST LUDUM ACTUM

DIVUS MAXIMILIANUS ALTERA DIE CONVIVIO REGI OMNES PERSONAS REFECIT:
 QUAE ERANT NUMERO VIGINTI QUATTUOR. ACTORES REGIIS MUNERIBUS DONAVIT.
 SODALITAS ILLA CARMINA SUBIECIT.

M3_5B v.1 Perlege Germanas rex invictissime Musas
 2 auspicio crescunt quae modo in orbe tuo
 3 has olidi quamvis tetricae odere cuculli
 4 et quos barbaries mitraque lata gravat
 5 quinos mordaci rabioso et dente lacesunt
 6 infamantque suis carmina nostra dolis
 7 quod si de sacris auferrent carmina libris
 8 horae septenae nullius ore forent
 9 hos merito spernis nobis tua munera larga
 10 distribuens, refovens aere, favore, lare
 11 unde tibi merito pulsant tua plectra Camenae
 12 et te perpetuo carmine ad astra ferent.

